



De loco nativitatis Christi, qualis fuerit et sit hodie.

Nativitatis dominicae locus non erat in oppido, sed adhaerebat civitatis muro in declivio ad partem aquilonarem oppidi, sicut hodie patet. De hoc dulcissimo loco delectat me loqui, sicut et delectatus fui in eo morari, et volo dicere, qualis locus ille fuerit

I. Ante Christi adventum tempore judicum, prophetarum, et regum Judae.

II. In nativitate Christi, quo Maria Christum in ea genuit, qualis fuerit.

III. Post nativ. Christi, quo Judaeorum malitia etiam in ipsum locum desaeviit.

IV. Tempore Helenae, quae locum gloria et honore plurimum illustravit.

V. Tempore S. Jeronymi, qui sanctitate et miraculis ibi claruit.

VI. Tempore perversorum et malorum Christianorum, qui loca profanaverunt.

VII. Tempore Sarracenorum, qui ipsum paene in nihilum redegerunt, et in hodiernum statum miserum deduxerunt.

Quantum ad primum, qualis locus nativitatis Christi fuerit ante adventum Domini, sciendum, quod Salmon, filius Naasson, accepit in uxorem Raab, meretricem de Jericho, et erat ille Salmon unus de praecipuis principibus populi Israel, quando transito Jordane expugnabant terram. Hic cum Raab uxore possedit Bethlehem, et erat domus castelli. Aedificavit autem ad murum sibi grandem habitationem, ita, quod non erat sua habitatio moenibus oppidi inclusa, sed per se firmata, sicut etiam in partibus nostris domini civitatum habent seclusas habitationes ad murum harentes. Porro ipsa habitatio fuit fundata super petras, et ibi erat petra cava (**B**) habens specum aptum ad ponendum in eum res, quae calorem sustinere non possunt, sicut cellarium, et quando erant magni calores, dormiebant in eo homines, et puerperae in eo pariebant, unde Raab genuit in eo Boas, qui post mortem patris sui factus fuit iudex totius populi Israel et dominus in Bethlehem, et

480

478

484

474

489

469

429

379

Ende

Anfang